

illis præstitis, filium a patria potestate liberat. Quis enim patitur, patrem quidem posse per emancipationis modum suæ potestatis nexibus filium relaxare, imperatoriam autem celsitudinem non valere eum quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate? — § 5. Si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis hostium fiat¹⁹, tamen²⁰ pendet jus liberorum propter jus postliminii²¹; quia hi qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia pristina jura recipiunt. Idcirco reversus etiam liberus habebit in potestate²²; quia postliminium fingit eum qui captus est, semper in civitate fuisse. Si vero ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse videtur²³. Ipse quoque filius neposve si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus propter jus postliminii, jus quoque potestatis parentis in suspenso esse²⁴. Dicitur autem postliminium a *limine et post*. Unde eum qui ab hostibus captus in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus; nam limina sicut in domibus finem quemdam faciunt, sic et imperii finem limen esse veteres voluerunt. Hinc et limes dicitur esse, quasi finis quidam et terminus; ab eo postliminium dicitur, quia eodem limine revertebatur, quo amissus fuerat. Sed et qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur. — § 6. Præterea emancipatione²⁵ quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam legis observationem præcedebat, quæ per imaginarias²⁶ venditiones et intercedentes manumissiones celebrabatur²⁷. Vel ex imperiali²⁸ rescripto. Nostra autem providentia et hoc in melius per constitutionem²⁹ reformavit, ut fictione pristina explosa, recta via ad competentes iudices, vel magistratus parentes intrent, et sic filios suos vel filias vel nepotes vel neptes ac deinceps sua manu dimitterent. Et tunc ex edicto prætoris in hujus filii vel filia, vel nepotis vel neptis bonis, qui vel quæ a parente manumissus vel manumissa fuerit, eadem jura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti³⁰. Et præterea si impubes sit filius vel filia vel ceteri, ipse parens ex manumissione³¹ tutelam ejus nanciscitur. — § 7. Admonendi³² autem sumus, liberum arbitrium esse ei qui filium et ex eo nepotem vel neptem in potestate habebit, filium quidem potestate dimittere, nepotem vero vel neptem retinere; et e converso filium quidem in potestate retinere, nepotem vero vel neptem manumittere, vel omnes sui juris efficere. Eadem et de pronepote et pronepte dicta esse intelligantur. — § 8. Sed et si pater filium quem in potestate habet, avo vel proavo naturali, secundum nostras constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit: id est, si hoc ipsum actis³³ intervenientibus apud competentem iudicem manifestaverit, presente eo qui adoptatur et non contradicente, nec non eo præsentem qui adoptat; solvitur jus potestatis patris naturalis: transit³⁴ autem in hujusmodi parentem adoptivum, in cujus persona et adoptionem esse plenissimam antea diximus³⁵.

§ 9. Illud autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo conceperit, et filium postea emancipaveris vel in adoptionem dederis prægnante nuru³⁶ tua, nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur; quod si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit, patris sui emancipati vel avi adoptivi potestati subjicitur³⁷; et quod neque naturales liberi³⁸ neque adoptivi ullo pene³⁹ modo possunt cogere parentes de potestate sua eos dimittere⁴⁰.

TIT. XIII.

DE TUTELIS¹

Transeamus nunc ad aliam divisionem personarum; nam ex his personis quæ in potestate non sunt, quedam vel in tutela sunt vel in curatione, quedam neutro jure tenentur. Videamus ergo de his quæ in tutela vel curatione sunt: ita enim intelligemus ceteras personas quæ neutro jure tenentur. Ac prius dispiciamus de his quæ in tutela sunt².

§ 1. Est autem tutela (ut Servius definiit) vis ac potestas in capite libero, ad tuendum³ eum qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa. — § 2. Tutores autem sunt, qui eam vim ac

19. Vulgo: a quamvis servus hostium fiat. — 20. L. pen. D. de suis et legit. hered. — 21. L. 19. D. de capt. et postlim. — 22. Inst. Gaii, I, 129. — 23. Id. — 24. Id. — 25. L. 5. C. de dolo malo. — 26. L. ult. C. de adopt. — 27. Inst. Gaii, I, 119, 123, 134. — 28. L. 5. C. de emancip. lib. — 29. L. ult. C. de emancip. lib. — 30. L. 1. D. de parente quis manum. — 31. Infr. de legit. parent. tut. — 32. L. 28. D. de adopt. — 33. L. ult. C. de adopt. L. 11. C. de fil. instrument. — 34. L. pen. in pr. vers. si vero, C. de adopt. — 35. § 2, supr. de adopt. — 36. Supra de ingren. et L. fin. D. de acquir. rer. dom. — 37. Inst. Gaii, I, 155. — 38. L. 51. D. de adopt. L. 4. C. de emanc. lib. — 39. L. 6. C. de speciebus. adde L. 16. § 2. D. de curat. furios. Vide tamen L. 32. pr. L. 33. D. de adopt. L. 12. C. de epis. audient. L. 3. § 6. D. de minor. L. 1. § 3. L. ult. D. si a parent. quis manum. L. 92. D. de condit. et demonstr. — 40. Inst. Gaii, I, 135.

potestatem habent, etque ipsa re nomen ceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tutores atque defensores: sicut aditum⁴ dicuntur qui ædes teneant. — § 3. Permissum⁵ est itaque parentibus, liberis impuberibus quos in⁶ potestate habent, testamento tutores dare; et hoc in filios filiasque procedit omnimodo. Nepotibus tamen neptibusque ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in patris sui potestatem non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tui tempore in potestate tua sit, nepotes ex eo non poterunt testamento tuo tutorem habere, quamvis in potestate tua fuerint: scilicet, quia mortuo te in potestatem patris sui recasuri sunt⁷. — § 4. Cum autem in compluribus aliis causis postumi⁸ pro jam natis habentur, et in hac causa placuit non minus postumis⁹ quam jam natis testamento tutores dari posse: si modo in ea causa sint ut, si vivis parentibus nascerentur, sui et in potestate eorum fierent¹⁰. — § 5. Sed si emancipato filio tutor a patre testamento datus fuerit, confirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, id est, sine¹¹ inquisitione.

TIT. XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES DARI POSSUNT¹.

Dari autem potest tutor non solum pater familias, sed² etiam filius familias.

§ 1. Sed et servus proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest. Sed sciendum est, eum et sine libertate tutorem datum, tacite³ libertatem directam⁴ accepisse videri, et per hoc recte tutorem esse. Plane si per⁵ errorem quasi tiber tutor datus sit, aliud dicendum est. Servus autem alienus pure inutiliter⁶ testamento datur tutor; sed⁷ ita cum liber erit, utiliter datur. Proprius autem servus inutiliter⁸ eo modo tutor datur. — § 2. Furiosus vel minor viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor erit, cum⁹ compos mentis aut major¹⁰ viginti quinque annis factus fuerit. — § 3. Ad certum tempus¹¹, seu ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante heredis institutionem, posse¹² dari tutorem non dubitatur¹³. — § 4. Certe autem¹⁴ rei vel cause tutor dari non potest, quia personæ non causæ vel rei datur. — § 5. Si quis filias suis vel filiis tutores¹⁵ dederit, etiam¹⁶ postumæ vel postuma dedisse videtur; quia filii vel filia appellatione¹⁷ postumæ vel postuma continentur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum et ipsis tutores dati sint¹⁸? Dicendum est ut ipsis quoque dati videantur, si modo *liberos* dixit: ceterum si *filios*, non¹⁹ continebuntur; aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Plane si postumis dederit, tam filii postumi quam ceteri liberi continebuntur²⁰.

TIT. XV.

DE LEGITIMA ADGNATORUM TUTELA¹.

Quibus autem testamento tutor non sit, his ex lege duodecim tabularum adgnati sunt tutores², qui vocantur legitimi³.

§ 1. Sunt autem⁴ adgnati, cognati per virilis sexus cognationem conjuncti, quasi⁵ a patre cognati: veluti frater eodem patre natus, frater filius neposve ex eo; item patruus et patruus filius, neposve ex eo. At qui per feminini sexus cognationem junguntur, non sunt adgnati, sed alias naturali jure cognati⁶. Itaque amita tuæ filius non est tibi adgnatus, sed cognatus, et invicem scilicet tu illi eodem jure conjungeris; quia qui nascuntur, patris⁷ non matris familiam sequuntur⁸.

§ 2. Quod autem lex ab intestato vocat ad tutelam adgnatos, non⁹ hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentum is qui poterat tutores dare; sed¹⁰ si, quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit: quod tunc quoque acciderit intelligitur, cum is qui datus est tutor, vivo testatore decesserit. — § 3. Sed adgnationis quidem jus omnibus modis capitis deminutione plerumque perimitur, nam adgnatio

TIT. XIV. — 1. Lib. 26, D. 2; Lib. 5, C. 28. — 2. L. 67, § 2, D. de ritu nupt. — 3. L. pen. C. de necess. serv. hered. L. 32, § 2, D. de testam. tut. — 4. Vide tamen L. 9, C. de adgnat. libertat. L. 10, in fin. D. de testam. tut. — 5. L. 23, D. de testam. tut. — 6. Vide tamen L. 10, § 4, D. de test. tut. — 7. L. 10, § 4, D. de testam. tut. — 8. L. 21 et 22, D. de condit. instit. — 9. L. 10, § 3, D. de test. tut. L. 12, pr. D. de excusat. adde L. 21, D. de tut. — 10. L. 32, in fin. D. de testam. tut. — 11. § 2, in fr. de Adit. tut. L. 8, § 1 et 2, D. de test. tut. Vide tamen L. 5, § 1, D. de tut. L. 77, D. de reg. jur. — 12. Inst. Gaii, II, 251, 252. — 13. L. 22, § 1, D. de test. tut. — 14. L. 45, pr. D. de legat. 2; L. 51, pr. D. de legat. 3. — 16. L. 4, § 6, 16, D. de test. tut. — 17. L. 164, pr. D. de verb. sign. — 18. L. 82, D. de verb. sign. — 19. L. 6, D. de test. tut. adde L. 229, D. de verb. sign. L. 201, D. eod. — 20. Vide tamen L. 1, in fin. D. de jure immunit.

juris est nomen. Cognationis vero jus non omnibus modis commutatur; quia civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia vero non¹¹ utique¹².

TIT. XVI.

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

Est autem capitis deminutio prioris status commutatio, eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor quam quidam medium vocant, aut minima³.

§ 1. Maxima capitis deminutio est, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit⁴; quod accidit in his qui servi⁴ pene efficiuntur atrocitate sententiæ, vel libertis ut ingratis erga⁵ patronos condemnatis, vel qui se ad pretium participandum⁶ venundari passi sunt.

§ 2. Minor sive media capitis deminutio est, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur⁷: quod accidit ei cui aqua et igni interdictum fuerit⁸, vel ei qui in insulam deportatus est. — § 3. Minima capitis deminutio est, cum et civitas et libertas retinetur, sed status hominis commutatur: quod accidit in his qui cum sui juris fuerant, coeperunt alieno juri subiecti esse, vel contra⁹. — § 4. Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput¹⁰ habuit.

§ 5. Quibus autem dignitas magis quam status permittitur, capite non minuuntur; et ideo senatu motum capite non minui¹¹ constat. — § 6. Quod autem dictum est manere cognationis jus et post capitis deminutionem, hoc ita est, si minima capitis deminutio interveniat; manet enim cognatio. Nam si maxima capitis deminutio currat, jus quoque cognationis perit, ut puta servitute alicujus cognati; et¹² ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem. Sed et si in insulam quis deportatus sit, cognatio solvitur. — § 7. Cum autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum qui¹³ proximior gradu sunt; vel si plures ejusdem gradus sunt, ad¹⁴ omnes: veluti si plures fratres sunt qui unum gradum obtinent, ideoque pariter ad tutelam vocantur¹⁵.

TIT. XVII.

DE LEGITIMA PATRONORUM TUTELA.

Ex eadem lege duodecim tabularum, libertorum et libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet. quæ et ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim in ea lege de hac tutela caveatur, sed quia perinde accepta est per interpretationem¹, atque si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso quod hereditas libertorum libertarumque, si intestati decessissent, jussert lex ad patronos liberosve eorum pertinere, crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelam ad eos pertinere: cum et adgnatos quos ad hereditatem lex vocat, eosdem et tutores esse jussit²; quia plerumque ubi³ successione est emolumentum, ibi et tutela onus esse debet. Ideo autem diximus *plerumque*, quia si a femina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, cum alius sit⁴ tutor.

TIT. XVIII.

DE LEGITIMA PARENTIUM TUTELA.

Exemplo¹ patronorum recepta est et alia tutela, quæ et ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, et deinceps impubes emancipaverit, legitimus eorum tutor erit².

TIT. XIX.

DE FIDUCIARIA TUTELA.

Est et alia tutela quæ fiduciaria appellatur; nam si parens filium vel

11. L. 8, D. de capit. minut. — 12. Inst. Gaii, I, 158, 165. — 13. L. 1, § 1, D. de lib. et cor. lib. — 14. Abrogat. per N. Leon. 59. — 15. L. 2, § 1, L. 17, § 1, D. de pign. ost. L. 5, § 2, D. de extraord. cogn. adde L. 1, § 8, D. ad SC. Tertull. — 16. Inst. Gaii, I, 161. — 17. Vulgo: vel contra, veluti si filiam familias a patre emancipatus fuerit, et capite minutus. — 18. L. 3, in fin. D. de capit. minut. — 19. L. 5, D. de separator. — 20. Inst. Gaii, I, 164. — 21. L. 6, in fin. D. de verb. sign. — 2. Inst. Gaii, I, 165. — 3. L. 65, in fin. D. pro socio. — 4. L. 73, D. de R. J. — 4. L. ult. D. de tut. N. 128, c. 5. — 5. L. 3, § 2, ult. D. de leg. tut. — 2. Inst. Gaii, I, 175. — 6. L. 1, § 1, D. de leg. tut. — 1. L. 4, D. de leg. tut. — 2. Inst. Gaii, I, 175. — 3. N. 128, c. 5. — 4. L. fin. C. de leg. tut.

filiam, nepotem vel neptem vel deinceps, impubes manumiserit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi virilis sexus ei exstant, fiduciarii¹ tutores filiorum suorum, vel fratris vel sororis et ceterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque ejus legitimi sunt tutores. Quoniam filius quidem defuncti, si non esset a vivo patre emancipatus, post obitum ejus sui juris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret, ideoque nec in tutelam; libertus autem, si servus mansisset, utique eodem jure apud liberos domini post mortem ejus futurus esset². Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ ætatis³ sint: quod nostra⁴ constitutio generaliter in omnibus tutelis et curationibus observari præcepit.

TIT. XX.

DE ATILIANO TUTORE¹, ET EO QUI EX LEGE JULIA ET TITIA DABITUR.

Si² cui nullus omnino tutor fuerat, ei dabatur in urbe quidem Roma a prætore urbano et majore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia, in provinciis vero a præsidibus provinciarum ex lege Julia et Titia³.

§ 1. Sed et si testamento tutor sub conditione aut die certo datus fuerat, quamdiu⁴ conditio aut dies pendebat, ex hisdem legibus tutor dari poterat. Item si pure datus fuerat, quamdiu ex testamento nemo heres exstat, tamdiu ex hisdem legibus tutor petendus erat: qui desinebat esse tutor, si conditio existeret, aut dies veniret, aut heres existeret⁵.

§ 2. Ab⁶ hostibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur: qui desinebat esse tutor, si is qui captus erat, in civitatem reversus fuerat; nam reversus recipiebat tutelam jure⁷ postliminii⁸.

§ 3. Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, posteaquam primo consulibus⁹ pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare coeperunt, deinde prætores ex constitutionibus. Nam supradictis legibus, neque de cautione a tutoribus exigenda rem salvam pupillis fore, neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem quicquam cavebatur. — § 4. Sed hoc jure utimur, ut¹⁰ Romæ quidem præfectus urbi, vel prætor secundum¹¹ suam jurisdictionem; in provinciis autem præsidis¹² ex inquisitione tutores crearent, vel magistratus jussu¹³ præsidis, si non sint magnæ pupilli facultates. — § 5. Nos autem per constitutionem¹⁴ nostram et hujusmodi difficultates hominum rescancant, nec expectata jussione præsidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeat, defensores¹⁵ civitatum una cum ejusdem civitatis religiosissimis antistite, vel alias publicas personas, id est, magistratus vel iudicium Alexandrinæ¹⁶ civitatis, tutores vel curatores creare, legitima cautela¹⁷ secundum ejusdem constitutionis normam præstanda, videlicet eorum periculo qui eam accipiunt.

§ 6. Impubes autem in tutela esse naturali¹⁸ juri conveniens est, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur¹⁹. — § 7. Cum igitur pupillorum pupillarumque tutores negotia gerunt, post pubertatem tutelæ iudicio²⁰ rationes reddunt²¹.

TIT. XXI.

DE AUCTORITATE¹ TUTORUM.

Auctoritas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria. Ut ecce, si quid dari sibi stipulantur², non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis pupilli promittant, necessaria est. Namque placuit meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate³; deteriore vero, non aliter quam tutoris auctoritate⁴. Unde in his causis ex quibus obligationes mutuas nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus⁵, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, si tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem qui cum his contrahunt, obligantur; at invicem pupilli non obligantur.

§ 1. Neque tamen⁶ hereditatem adire, neque bonorum possessionem⁷

TIT. XX. — 1. Lib. 26, D. 5; Lib. 5, C. 34 et 36. — 2. L. 27, D. de testam. tut. — 3. Inst. Gaii, I, 185. — 4. L. 13, D. de testam. tut. — 5. Inst. Gaii, I, 186. — 6. L. 15, D. de tutel. — 7. L. 8, D. de tut. et rat. distr. — 8. Inst. Gaii, I, 187. — 9. Favit L. 1, § 1, D. de confirm. tut. — 10. L. pen. § 5, D. de excusat. — 11. Adde L. ult. D. de juridict. — 12. L. 1, § 2, D. de tutor. et curat. dat. ab his. — 13. L. 4, § 5, D. de magistrat. conven. L. 46, § 6, D. de admin. et peric. tut. — 14. L. 50, C. de epis. audient. — 15. L. 19, D. de tut. dat. — 16. L. 2, D. de officio juridici. — 17. L. 2, § 3, D. de magistrat. cour. — 18. L. 1, pr. D. de minor. — 19. Inst. Gaii, I, 189. — 20. L. 1, § 3, D. de tut. et rat. distr. — 21. Inst. Gaii, I, 191.

TIT. XXI. — 1. Lib. 26, D. 8; L. 5, C. 59. — 2. Vide L. 1, C. de auctor. præstand. — 3. Inst. Gaii, II, 83. — 4. L. 28, in pr. D. de pactis. — 5. L. 2, § 1, D. h. t. — 6. L. 9, § 3, D. h. t. — 7. L. 11, D. eod.

A
B
C
D
E
F
G

petere, neque hereditatem ex fideicommissio⁸ suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa⁹ sit, nec ullum damnum habeat. — § 2. Tutor autem statim in ipso negotio¹⁰ praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo professe existimaverit. Post tempus vero aut per epistolam interposita auctoritas nihil agit. — § 3. Si inter tutorem pupillumque iudicium agendum sit, quia ipse tutor in¹¹ re sua auctor esse non potest, non pretorius tutor ut olim constituitur¹², sed curator¹³ in locum ejus datur: quo interveniente iudicium peragitur, et eo peracto curator esse desinit.

TIT. XXII.

QUIBUS¹ MODIS TUTELA FINITUR

Pupilli pupillaeque, cum puberes esse coeperint, tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam² ex habitu corporis in masculis aestimari volebant³. Nostra autem majestas dignum esse castitate nostrorum temporum bene putavit, quod in feminis et antiquis impudicum est visum esse, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculis extendere. Et ideo⁴ sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post quartum decimum annum completum illico initium accipere disposuimus, antiquitatis normam in femininis personis bene positam suo ordine relinquentes, ut post duodecimum annum completum viripotentes esse credantur.

§ 1. Item finitur tutela, si⁵ adrogati sint adhuc impuberes, vel⁶ deportati: item si in servitutem pupillus redigatur ut ingratu⁷ a patrono, vel ab hostibus fuerit captus. — § 2. Sed et si usque ad certam conditionem⁸ datus sit testamento, aequo evenit ut desinat esse tutor existente conditione. — § 3. Simili modo finitur tutela morte⁹ vel pupillorum vel tutorem. — § 4. Sed et capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel civitas ejus amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione¹⁰ tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tantum¹¹ tutela perit, cetera non pereunt. Sed pupilli et pupillae capitis deminutio, licet minima sit, omnes tutelas tollit. — § 5. Praeterea qui ad certum tempus testamento dantur tutores¹², finito eo deponunt tutelam. — § 6. Desinunt autem tutores esse, qui vel removerantur a tutela ob id quod¹³ suspecti visi sunt, vel ex justa causa sese excusant et onus administrandae tutelae deponunt, secundum ea quae inferius proponemus.

TIT. XXIII.

DE¹ CURATIONIBUS.

Masculi puberes et feminae viripotentes usque ad vicesimum quintum annum² completum curatores accipiunt; qui³, licet puberes sint, adhuc tamen ejus aetatis sunt, ut sua negotia lucri non possint⁴.

§ 1. Dantur autem curatores ab⁵ hisdem magistratibus, a quibus et tutores. Sed curator testamento non⁶ datur, sed datus confirmatur⁷ decreto pretoris vel praesidis. — § 2. Item inviti⁸ adolescentes curatores non accipiunt, praeterquam in litem; curator enim et ad certam causam dari potest. — § 3. Furiosi quoque et prodigi, licet⁹ majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege duodecim tabularum. Sed solent Romae praefectus urbi vel praetor, et in provinciis praesides ex inquisitione eis curatores dare. — § 4. Sed et mente captis, et surdis, et mutis, et qui perpetuo morbo laborant, quia¹⁰ rebus suis superesse non possunt, curatores dandi sunt. — § 5. Interdum autem et pupilli curatores accipiunt: ut puta si legitimus tutor¹¹ non sit idoneus, quoniam habenti¹² tutorem tutor dari non potest. Item si testamento datus tutor, vel a praetore vel praeside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administrat, solet ei

8. L. 9. § 4. D. h. t. — 9. Propter L. 189, D. de reg. jur.; et L. 9, D. de acquir. vel omit. hered. — 10. L. 9. § 2. pen. D. h. t. — 11. Fide L. 1, in pr. D. h. t. — 12. Inst. Gaii, l. 1, § 4. — 13. L. 1, C. de in litem dando tut.

TIT. XXII. — 1. Lib. 5, C. 60. — 2. L. 32, D. de minor.; L. 5, C. si minor se majorem dixerit. — 3. Inst. Gaii, l. 196. — 4. L. ult. C. quando tut. vel curat. esse desin. — 5. L. 5, circa finem C. de auctor. praesent. — 6. L. 14, D. de tut. — 7. L. 14, § 3 et 5, in fin. D. de tutel. — 8. L. 4, in pr. D. de tut. et rat. distrach.; L. 4, D. de legit. tut. — 9. L. 7, in pr. D. de capite minut. — 10. Abrogatum N. 118, c. 4. — 11. L. 14, § 3, D. de tutel.; § 3, sup. qui testam. tut. — 12. L. 14, § 4, D. de tutel.

TIT. XXIII. — 1. Lib. 27, D. 10; Lib. 5, C. 70. — 2. L. 5, § 3, D. de minor. — 3. N. Leonis 28. — 4. Inst. Gaii, l. 197. — 5. L. 3, D. de tut. et curat. dat. — 6. L. 1, in fin. l. 2, § 1, D. de confirm. tut. — 7. L. 1, in fin. D. de confirm. tut.; L. 6, C. de negot. gestis; L. 7, C. de test. tut. — 8. L. 13, in fin. D. de minor.; L. 1, et 7, C. qui petant tut. — 9. L. 16, pr. D. de curat. furios. — 10. L. 2, D. eod. — 11. L. 15, pr. D. de tutel. — 12. L. 27, D. de

curator adjungi. Item in locum tutorem qui non in perpetuum, sed¹³ ad tempus a tutela excusantur, solent curatores dari. — § 6. Quod si tutor adversa valetudine vel alia necessitate impeditur quominus negotia pupilli administrare possit, et pupillus vel absit vel infans sit, quem velit actorem¹⁴ periculo ipsius tutoris praetor, vel qui provincia praerit, decreto constituet.

TIT. XXIV.

DE¹ SATISDACTIONE TUTORUM VEL CURATORUM.

Ne tamen pupillorum pupillarumve et eorum qui quae in curatione sunt, negotia a curatoribus tutoribusve conorum vel deminuantur, curat praetor ut et tutores et curatores eo nomine² satisfiant. Sed hoc non est perpetuum; nam tutores testamento dati³ satisfacere non coguntur, quia fides eorum et diligentia ab ipso testatore probata est⁴. Item ex inquisitione tutores vel curatores dati satisfactione non onerantur⁵, quia idonei electi sunt⁶.

§ 1. Sed si ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint, potest⁷ unus offerre satis de indemnitate pupilli vel adolescentis, et contutori vel concutori praeferrere, ut solus administret; vel⁸ ut contutori satis offerens praeponat eum, et ipse solus administret. Itaque per se non potest petere satis a contutore vel concutore suo; sed offerre debet, ut electionem det contutori vel concutori suo, utrum velit satis accipere an satisfacere. Quod si nemo eorum satis offerat; si quidem adscriptum fuerit a testatore quis⁹ gerat¹⁰, ille gerere debet. Quod si non fuerit adscriptum, quem¹¹ major pars elegerit, ipse gerere debet, ut edicto praetoris cavetur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum vel eos qui gerere debent, praetor partes suas interponere debet. Idem et in pluribus ex inquisitione datis probandum est, id est, ut major pars eligere possit, per quem administratio fieret.

§ 2. Sciendum autem est, non solum tutores vel curatores pupillis vel adultis ceterisque personis ex administratione rerum teneri; sed etiam¹² in eos qui satisfactionem accipiunt, subsidiariam¹³ actionem esse, quae ultimum eis praesidium possit adferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisfieri non curaverunt¹⁴, aut non idonee passi sunt caveri. Quae quidem tam ex prudentium responsis quam ex constitutionibus imperialibus etiam¹⁵ in heredes eorum extenditur. — § 3. Quibus constitutionibus et illud exprimitur, ut nisi caveant tutores vel curatores¹⁶, pignorum captis coercantur.

§ 4. Neque autem¹⁷ praefectus urbi, neque praetor, neque praeses provinciae, neque quis alius cui tutores dandi jus est, hac actione tenebitur; sed hi tantummodo qui satisfactionem exigere solent.

TIT. XXV.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM¹ VEL CURATORUM.

Excusantur autem tutores vel curatores variis ex causis: plerumque autem² propter liberos, sive in potestate sint, sive emancipati. Si enim tres liberos superstitis Romae quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque, a tutela vel cura potest excusari, exemplo ceterorum numerum: nam et tutelam vel curam placuit publicum³ munus esse. Sed adoptivi liberi non prosunt: in adoptionem autem dati, naturali patri prosunt. Item nepotes ex filio prosunt, ut in locum patris succedant; ex filia, non prosunt. Filii autem superstitis tantum ad tutelam vel curam muneris excusationem prosunt; defuncti non prosunt. Sed si⁴ in bello amissi sunt, quassum est an prosint? Et constat eos⁵ solos professe, qui in acie amittuntur; hi enim qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.

testam. tut. l. 10, D. de tut. dat.; L. 9, C. qui petant tut.; L. 9, C. qui dare tut.; L. 4, C. in quibus casib. tut. — 13. § 2, infr. de excusat. L. 10, § 6, D. eod. — 14. L. 14, pr. D. de admin. et peric. tut.

TIT. XXIV. — 1. Lib. 5, C. 42. — 2. L. 1, D. qui satisfacere; L. 7, D. rem pupilli. — 3. L. 17, D. de testam. tut. — 4. Inst. Gaii, l. 199, 200. — 5. L. 8, D. de curat. furios. — 6. Inst. Gaii, l. 200. — 7. L. 17, pr. D. de testam. tut. — 8. L. 58, § 20, D. de reb. oblig. — 9. L. 14, § 1, D. de solut. — 10. L. 3, § 1, D. de admin. et peric. tut. — 11. L. 14, § 1, D. de solut.; L. 3, § 5, D. de iudic. soluti. — 12. L. 1, D. de magistr. conv. — 13. L. 4, C. eod. Fide tamen L. 1, § 15, D. de tutel. et rat. distrach. L. 2, C. de divid. tut.; L. 14, D. de admin. tut.; L. 2, et 5, D. de magistr. conv. — 14. L. 1, § 11, D. eod. — 15. L. 4, et 6, D. de sol. pecul. — 16. L. 5, pr. C. de suspect.; L. 4, § 2, D. de damn. infect.; L. 9, in fin. D. ed. L. Jul. pecul. — 17. L. 1, § 1, D. de magistr. conv.

TIT. XXV. — 1. Lib. 27, D. 1; Lib. 5, C. 62 ad 70. — 2. L. 1, C. qui numero liberor. adde L. 7, § 3, D. de bonis damnat. — 3. L. 9, D. de his qui sui vel alieni jur. Fide tamen L. 6, § 18; L. 12, § 18; L. 17, § 3, D. h. t. — 4. L. 18, D. h. t. — 5. L. ult. in pr. D. de vacat. muo

TIT. XXVI.

DE SU PECTIS TUTORIBUS¹ VEL CURATORIBUS.

Sciendum est suspecti crimen ex² lege duodecim tabularum descendere.

§ 1. Datum³ est autem jus removendi tutores suspectos Romae praetori; et in provinciis, praesidibus earum, et legato⁴ proconsulis. — § 2. Ostendimus⁵ qui possint de suspecto cognoscere; nunc videamus qui suspecti fieri possint. Et quidem omnes tutores possunt, sive testamentarii sint⁶ sive non, sed alterius generis tutores. Quare et si legitimus sit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus⁷ fama patroni parcendum licet ut suspectus remotus fuerit. — § 3. Consequens⁸ est ut videamus qui possunt suspectos postulare. Et sciendum est quasi⁹ publicam esse hanc actionem, hoc est, omnibus patere¹⁰. Quinimo et mulieres admittuntur ex rescripto divorum Severi et Antonini, sed ea sola quae pietatis necessitudine¹¹ ductae ad hoc procedunt, ut puta mater: nutrix quoque et avia possunt; potest et soror. Sed et si qua alia mulier fuerit, cujus praetor perpensam pietatem intellexerit non sexus verecundiam egredientis, sed pietate productam non continere injuriam pupillorum, admittet eam ad accusationem. — § 4. Impuberes¹² non possunt tutores suos suspectos postulare; puberes autem curatores suos ex consilio necessarium suspectos possunt arguere: et ita divi Severus et Antoninus rescripserunt. — § 5. Suspectus autem est, qui¹³ non ex fide tutelam gerit, licet solvendo¹⁴ sit, ut Julianus quoque rescripsit. Sed et antiquum¹⁵ incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum removeri idem Julianus rescripsit; et secundum eum constitutum est.

§ 6. Suspectus autem remotus, si quidem¹⁶ ob dolum, famosus est; si ob culpam, non aequo¹⁷. — § 7. Si quis autem suspectus postulari, quoad cognitio finitur¹⁸, interdicitur ei administratio, ut Papiniano visum est. — § 8. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator decesserit¹⁹, extinguitur suspecti cognitio. — § 9. Si quis tutor copiam sui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur, cavetur epistola divorum Severi et Antonini, ut in²⁰ possessionem bonorum ejus pupillus mittatur; et quae mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi jubentur. Ergo ut suspectus removeri poterit, qui²¹ non praestat alimenta. — § 10. Sed si quis praesens negat propter inopiam alimenta non posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum eum esse ad praefectum urbi puniendum placuit: sicut ille remittitur, qui data²² pecunia ministeriis tutelam redemit.

§ 11. Libertus²³ quoque, si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad praefectum urbi remittitur puniendus. — § 12. Novissime sciendum est, eos qui fraudulenter tutelam vel curam administrant, etiamsi satis offerant, removendos a tutela; quia²⁴ satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiarum facultatem praestat. Suspectum²⁵ enim eum potamus, qui moribus talis est ut suspectus sit. Enim vero tutor vel curator, quamvis pauper est, fidelis tamen et diligens, removendus non est quasi²⁶ suspectus.

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

DE¹ DIVISIONE RERUM ET² QUALITATE.

Superiore libro de jure personarum exposuimus: modo videamus de re-

TIT. XXVI. — 1. Lib. 26, D. 10, et Lib. 5, C. 45. — 2. L. 1, C. 2, D. h. t. — 3. d. L. 1, § 3. — 4. d. L. 1, § 4, et L. 4, pr. D. de offic. ejus cui mand. juridic. Fide tamen L. 1, § 21, D. ad Sc. Turpill. — 5. L. 1, § 5, D. h. t. — 6. L. 1, C. h. t. — 7. L. 11, § 1, D. de dolo malo. Fide L. 9, D. h. t. — 8. L. 2, § 6, D. h. t. — 9. d. L. 1, § 6; L. 6, C. eod. L. 1, § 21, D. ad Sc. Turpill. — 10. L. 1, § 6, D. et L. 6, C. h. t. — 11. L. 5, § 1, D. quibus ex casu, in possessa. L. 1, § 7, D. h. t. — 12. L. 6, in fin.; L. 7, in pr. D. h. t. — 13. L. 5, § 5, D. eod. — 14. Art. 1, L. 6, D. eod. — 15. L. 6, § 5, verq. quod si quid admittit, D. eod. — 16. L. ult. C. h. t. — 17. L. 3, § ult., L. 4, D. eod. Adde L. 7, § 1, D. eod. — 18. L. 7, C. h. t. L. 14, § 1, in fin. D. de solut. — 19. Adde L. pen. D. h. t. — 20. L. 3, § 1, D. eod. — 21. L. 5, § 14, D. eod. — 22. L. 3, § 15, D. eod.; L. 1, § 7, D. de offic. praefecti urbi; L. 2, § fin. D. de tut. et curat. dat.; L. 23, L. 2, D. h. t. — 23. L. 2, D. h. t. — 24. L. 5, § 6, D. eod. — 25. L. 8, D. eod. — 26. L. 17, § 4, D. de adopt. Adde L. 21, § 5, D. de tut. et curat. dat.

TIT. I. — 1. Lib. 1, D. 8. — 2. Lib. 41, D. 1.

6. L. 10, C. h. t. — 7. Lib. 5, C. 64, et L. 41, § 2, D. h. t. — 8. Obs. L. 11, D. de tutel.; L. 3, § 2, D. de suspect. tut.; L. 9, in pr. D. de tut. et rat. distrach. — 9. Fide tamen L. 10, in pr. et 21, D. h. t. sed iunge etiam L. 2, d. L. 10. — 10. L. 215, D. de verb. signi. L. 3, L. 3, § 6, § 8, D. h. t. adde etiam L. 3, § 4, D. eod. — 11. L. 21, pr. D. h. t. — 12. Lib. 5, C. 69, et L. 2, § ult.; L. 14, § 1, D. h. t. — 13. Lib. 5, C. 67. — 14. L. 6, in fin. D. h. t. — 17. L. 10, D. h. t. — 18. Lib. 6, § 68, et L. 2, pr. D. h. t. — 19. L. 6, § 17, D. h. t. — 20. Adde L. 6, § 2, pen. C. qui dare tutor. L. 8, § 10, D. h. t. — 21. L. 6, § 17, D. h. t. — 22. L. ult. C. de legit. tut. — 23. L. 4, L. 8, D. de except. — 24. L. 1, § 1, D. quando appellandi; L. 15, pr. D. L. 18, C. h. t. L. 6, § 2, D. de rit. nupt. L. 4, § 16, D. h. t.; L. 39, § 6, D. de admin. et peric. tut.; L. 2, C. de decurion. adde L. 1, § 1, D. quando appelland. — 27. L. 13, § 1, D. h. t. — 28. d. L. 13, § 2. — 29. L. 1, L. 4, § 6, de legit. tut. — 30. L. 13, § 1, D. h. t. — 31. L. 21, § 2, D. h. t. — 32. L. 20, § 1, D. eod. — 33. L. 2, in fin. D. L. 4, C. h. t.; L. 14, D. de curat. furios.; L. 2, C. qui dare tutores. — 34. d. L. 2, C. — 35. Lib. 5, C. 63.